

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

Dominica VI. post Epiphanias.

92

veteres dixerunt: *In viis Domini non pro-gredi, est retrogredi.* 1. Corinth. 9. v. 24.

3. *Ut montana conscendamus.* In mon-te, inquit Angelus, salva animam tuam. Quo ipso spiritualiter intelligitur, *mons ecclesiae*, sicut quoque passim mons in scripturis illa appellatur, Psalm. 43. v. 3. Psalm. 74. v. 2. Intelligitur quoque per eum, *mons cali*, unde nobis auxilium venit, quâ de causâ etiam oculos nostros ad montes illos iden-tidem elevare debemus, Ps. 121. v. 1. Ut sur-sum corda habeamus, Phil. cap. 2. verf. 13. 14.

Eò nos ablegat prælectum Evange-lium, in quo audimus, quomodo Serva-tor noster Petrum, Jacobum & Joha-nem sibi adsciscat, & in montem excel-sum abducat. Ibi ccelum ipsis intuen-dum aperit, adeò, ut coram eis trans-figuretur, ubi Moses etiam & Elias appa-rent, ex quo Petrus tantâ lâtitia affici-tur, ut exclamat: Domine, bonum est, nos hic esse: si vis, faciamus hic tria taber-na-cula, tibi unum, & Moysi unum, & Heliz unum.

Hæc historia consolatione plenissima est, quam merito omnes pii Christiani nosse, & sedulò considerare debent, ob spem infallibilem, quæ hoc ipso in nobis excitatur, quod post hanc vitam, & quidem beatam, & nunquam terminandam ex-pe-ctandam habeamus.

Nos absque ulteriori præfamine ad ipsum Evangelium pergemus, ut dis-ca-mus ex eo:

I. Ανθρωπολογια, sive notitiam nostri.

II. Χριστογνωσια, sive notitiam Christi.

J.J.

Dominica VI. post Epiphanias.

Exgesis.

DE Thabor & Hermon vaticinatus est David, quod exultaturi sint in nomine Domini, Psalm. 89. v. 13.

Hæc elegans est Prosopopœia, ubi de his duobus montibus Propheta dicit, quod exultaturi sint, quæ proprietas hominum, non montium est. Respicitur autem eo ad tempus Novi Testamenti, quo Jesus Salvator noster libenter in montibus versatus est, & inter alios quoque mon-tem Thabor precibus suis sanctificavit, & transfiguratione sua glorificavit, ut præsens Evangelium testatur.

Nobis hoc Evangelium ansam mini-strat, ad notitiam nostri perdiscendam, si consideramus

I. Annotatum tempus. Nempe die sexto transfiguratio Christi facta est. Sic enim Evangelista: Et post dies sex assumit Jesus Petrum & Jacobum & Johannem, & transfiguratus est ante eos.

S. Lucas memorat, quod factum post dies octo. Sed nulla est inter ipsum & Matthæum discrepancia. Primum enim diem illum habet, quod Christus de passione sua prædixit; & octavum habet eum, quo facta est transfiguratio. Sed Matthæus & Marcus tantum recensent sex illos dies, qui interfuerunt. In præ-cedente enim 16. capite audimus, Chri-stum ad discipulos suos tristissimam con-cionem habuisse, iisque ostendisse, opor-tere se Hierosolymam ire, & multa pati, à senioribus, & scribis, & principibus fa-cerdotum, & occidi, & tertia die re-surgere. Indicavit quoque, quod omnes, qui se fe-

se sequi velint, seipso abnegare, & crucem suam tollere debeant.

Hoc auditō, discipuli frontem corrugabant, & magnopere solliciti erant, quod Dominus & Magister ipsorum de morte meditaretur, & sibi ipsis non melior merces restaret. Propterea Dominus, sollicitudinem ipsorum levare vult, quā jam tum dies aliquot tenebantur, assuntis tribus prædictis discipulis, quos in montem Thabor abducit, ut transfigurationem suam intuentes, ceteris quoque Apostolis de ea referrent, firmā spe freti, quod absolutis diebus ærumnæ, ad similem gloriam evchendi sint, sicut Christus promisit, Joh. 12. v. 26.

Hic probate, mi Christiane, utrum & ipse hos sex dies fideliter sustinueris, & futuram transfigurationem a quo animo expectaveris?

Hoc cuiuslibet Christianorum debitum est, quod non negligi debet. Sicut enim Deuster Opt. Max. intra sex dies cœlum & terram creavit, sed septimo die quievit, quem etiam quieti destinavit, Gen. 2. v. 3. Sic omnes quasi sex dies habemus, quibus laborandum, & in sudore vultus nostri pannis nobis est quærendus, Gen. 3. v. 19. Patientium nobis, quod Deus immittit, Psalm. 38. v. 18. Certandum est cum Diabolo, mundo, & carne, Job. 7. v. 1. Sed finitis sex diebus, sabbathum æternū sequetur, Ef. 66, 25.

Vetus traditio Eliæ cuiusdam, non Prophetæ illius, sed Rabbini alicuius circumfertur, quæ ita habet: *Sex millia annorum erit mundus, duo millia inane, duo millia lex, duo millia dies Messie, & propter peccata nostra, qua multiplicata sunt, exierunt nobis, qui exierunt.*

Hanc aliqui Antiquorum Patrum magnificerunt, & cum ea hos sex dies contule-

runt, quod, sicut Christi transfiguratio post sex dies facta: sic similiter, post lectum millennium, Christus cum adventu, & transfiguratione fidelium adventurus sit, siquidem unus dies coram Deo, ut mille anni. 2. Petr. 3. v. 8.

Alii alias opiniones fovent, quas loco suo relinquimus.

Interea hoc certum est, quod quilibet verus Christianus, sex dies afflictionum habeat, ubi non solum *audit* verbum de cruce, 1. Cor. 1. v. 18. sed multas quoque tribulationes *experiiri* tenetur, Psalm. 71. v. 20.

Sed hic nullum salutarius remedium est, quam cum silentio præstolari salutare Dei, Thren. 3. vers. 26. Per fidem enim & patientiam promissio reportanda, Hebr. 10. vers. 36. Sed post sex dies demum, quando tempus passionis exantlatum, tun sequetur lætissimus resurrectionis dies, quo Christus fideles suos adsciscet sibi, & abducet in montem Thabor, ubi transfiguratio futura, & corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem, 1. Cor. 15. v. 53.

Qui montana adscendere gestit, cum vultus sudore adscendat, necesse est: Quodsi cœlum ingredi volumus, montem crucis prius concordare nos oportet, & per multas tribulationes intrare, Act. 14. v. 22. Sir. 2. v. 1.

Æquo igitur esto animo, & sustine, quæ sustinenda sunt, Deus te non patietur tentari supra id, quod potes, 1. Cor. 10. v. 13. Nulla utique proportio est inter sex dies & æternitatem, Sir. 18. v. 8. 2. Cor. 4. v. 17.

II. *Apostolorum metus.* S. Lucas recentet, quod Petrus, & qui cuin illo erant, gravati sint somno, sed nube ipsis obtene-

Dominica VI. post Epiphanius.

94

brante, & voce de nube auditâ, timuerunt
valde, & evigilarunt. Hoc mirabile & sin-
gulare est. Mirabile, quod Apostoli
fomno indulgent, cum tamen merito cum
gaudio gloriam hanc intueri debuissent.
Singulare, quod timent, dum vocem audi-
unt, & lucidam nubem conspiciunt, quâ
obumbrati sunt. Illud socordiae carnis,
hoc verò humanæ infirmitati adscriben-
dum est. Nos enim homines, non percipi-
mus ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2.v.14.
Et quemadmodum Israëlitæ olim perterriti
erant, cùm sonitum buccinæ & Deum Mo-
si respondentem audirent, Exod. 19. v.17.
Sic neque nos majestatem & gloriam Dei
in hac mortalitate ferre possumus, quin
moriāmur. v. 24.

*Hie proba te, mi Christiane, annon & ipse
gloriam hanc corde & oculis somniculosis
contemplatus fueris?*

Hodie in omnibus statibus multi
sомнolenti offenduntur, qui in statione
sua priori sunt, Rom. 12. v. 11. præsertim,
quod eorum salutem concernit: plurimi
enim terrena sapiunt, Phil. 3. v. 19. sapientes
sunt, ut faciant mala, bene autem facere
nesciunt, Jer. 4. v. 22.

Quoties domum Domini intramus,
Christus quasi in montem Thabor nos se-
ducit, ut omnes vigilantes, & cum volu-
ptate conciones sacras audiamus, Qui enim
ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47.
Sed plurimi securi dormiunt, & conciones
susque deque habent.

Si flagitia & peccata corriguntur, pluri-
mi nihil ad se id pertinere arbitrantur, in-
star adulteræ illius, quæ tergens os
suum dicit: Non sum operata malum,
Prov. 30. v. 20.

Si quomodo piè vivendum, rectè cre-

dendum, patienter sustinendum, fideli-
ter orandum, & tranquillè moriendum sit,
inculcatur, itidem vento tradunt, ut verum
in ipsis sit illud Pauli: Hebr. 5. v. 12. 2. Tim.
3. v. 7.

Sic conciones quoque penitentiales
flocci fiunt, multis præ animi fastu dicen-
tibus: *Quis ostendit nobis bona?* Ps. 4. v. 6.
Et sic ulterius.

Nos potius expavescamus iram & ju-
dicium Dei, quando de celo auditum fa-
cit judicium, Psal. 76. vers. 9. Beatus enim,
qui semper pavidus, Psalm. 28. v. 14.
Hoc ipso peccatum expeditur, Sir. 1. v. 27.
Et pietas implantatur, Psalm. 66. v. 11. In
vita æterna, ubi corpora glorificata habe-
bimus, non timebimus amplius ad con-
spectum Domini: sed à facie ad faciem
intuebimur, 1. Cor. 13. v. 12. 1. Joh. 1. v. 3.
1. Cor. 2. v. 9.

III. *Peri jubilus.* Cum enim ille Chri-
stum in claritate sua intueretur, simul Mo-
sen & Eliam, qui dicebant excessum ejus,
quem completurus erat in Hierusalem,
Luc 9. vers. 31. & lucidâ nube obumbra-
retur, tandem in hæc verba plenus latitudo
prorumpet: Domine, bonum est nos
hîc esse: si vis, faciamus hîc tria ta-
bernacula, tibi unum, & Mosi unum, &
Heliæ unum.

Quamvis autem Petrus hic eret, & in-
tempestivius tabernacula hæc exstructum
eat: tamen evidenter cernimus, gloriam
& Majestatem vitæ æternæ adeo immen-
sam fore, ut si semel ejus participes evaferi-
mus, nihil tum anaplus desideraturis sumus,
sed potius optaturi, ut sine termino ibi ma-
neamus, Psal. 84. v. 11.

*Hic te proba, mi Christiane, utrum tu
quoque tangas gaudii cœlestis desiderio tenes-
ris,*

ris, ut ejus intuitus, omnia, quae in mundo sunt, pro damno & stercore ducas, & cum Christo Servatore esse, quam in hoc mundo diutius vivere malis?

Naturā homines nos mundum in delitiis habemus, & terrenorum amore inebrati sumus, haud secus, ac si cum morte fœdus percuesserimus, & cum inferno pactum fecerimus, Es. 28, 15. Cum tamen omnis mundi gloria transtitoria sit, Sir. 14. v. 21.

Mundus est vallis lacrymarum, & tamen Deus eum tam magnificè exornavit, tegumentum aureis astris, fundum virente gramine: Quanto formosius, magnificientius, erit cœlum novum & terra nova, qua Deus creabit? Ibi inveniemus pulchram domum in pulchra civitate; pulchram civitatem in pulchra regione; pulchram regionem in pulchro regno; pulchrum regnum, in quo DEUS ipse Rex, & Imperator est. Eò adspiremus, & omnia quæ mundi sunt, despiciamus. Miscentur enim tristia latēs, ut patet ex Maccab. 9. vers. 37.

Ibi jubilus noster erit perfectissimus! Joh. 16. v. 24. Ibi bonum erit esse!

1. Ratione domicilii. Hic habitamus domus luteas, Jer. 9. v. 11. ubi adscendit mors per fenestras, Jer. 9. v. 21. Hebr. 13. v. 14. Esa. 38. v. 1. Sir. 14. v. 18. sed ibi Jesus nos introducit in cœlestem Hierosolymam, Apoc. 21. v. 21. In domum Patris cœlestis. Joh. 14. v. 2. In paradisum latissimum. Ps. 36. v. 9. Ps. 16. v. ult.

2. Ratione consortii. Sicut enim hic Petrus Candidatos æternitatis Mosen & Eliam offendit: sic etiam nos universum chorūm cœlestem offendemus, Dan. 7. v. 10. Et sicut Petrus hos viros novit, nunquam antehac viros: sic & nos omnes

æternæ vitæ Candidatos primo intuitu cognoscemus, 1. Cor. 13. v. 13.

3. Ratione colloquii. Moses & Elias dicebant excessum Christi, quem completerus erat in Hierusalem: Sic & nos in vita æterna totam SS. Trinitatem non modò videbimus: sed cum Mose & Elia, imò cum Christo ipso colloquemur, de maximis mysteriis, quæ in hoc mundo capere non potuimus. Psal. 61. v. 8.

Retineant igitur homines mundani gaudium & felicitatem suam, quam in hoc querunt, si frumentum & mustum eorum multiplicata sunt, Psalm. 4. v. 8. aut in abundantia vivunt, Ezech. 16. v. 49. Nos aliud habemus domicilium, ad quod Deus nos vocavit, 1. Thess. 5. v. 9. Luc. 16. v. 9. ubi non audiatur ultra vox fletus, & vox clamoris, Esa. 65. v. 19. sed vox exultationis & salutis, Ps. 118. v. 15.

De Secundo.

Transibimus nunc ad alteram partem, xpi regni, sive notitiam Christi contemplaturi. Hic nobis in Evangelio hoc proponitur:

1. Tāquam idea future glorificationis, quæ etiam in piis consummabitur, suo tempore.

De Christo in Evangelio dicitur, quod Discipulos suos duxerit in montem cœlum: Sie ad hanc gloriam pervenire non possumus, nisi per Christum. Hic verus ille Jonathan est, qui adscendit, & armiger ejus post eum, 1. Sam. 14. vers. 13. Et nisi hic Angelus fœderis præcedat, & introducat nos in cœlestem Canaan, nunquam eō perveniemus, Exod. 23. v. 20. Descendit enim de coelo in carnem, & adscendit, Johan. 3. v. 13. Qui hunc unicum media-